



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prvdentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. XII. Negotiorum multitudinem dissuadet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

sura ciuitate mea. Propter quòd, electi mei, qui ius æternæ hæreditatis nec amittere, nec diminuere volunt, habentes alimenta, & quibus tegantur, tantò celerius currunt, quantò minùs ponderis mundani portant. Quid igitur vos solliciti estis in annos plurimos, quasi certò superuictari, cum ignoretis, quid superuictura pariat dies? Grauitè errauit homo ille, cui dictum est: Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te, & quæ congregasti cuius erunt? Spernite, amici mei, quæ breui, ac necessario pereunt, & diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.

CAP. XII.

Negotiorum multitudinem desuadet.

PORRO vnum est necessarium, vnum, inquam, illud, quòd est bonum. Feci e, o hominem rectum, vt bonum hoc infinitæ consolationis plenum, per vias rectas quæreret, ac requireret, ille tamen, cum in honore esset, non intellexit, sed mille laqueis, & quæstionibus se implicuit, ac pere-

gre à me profectus est. Non placuit illi suauissima conuersatio mea, & studium illorum, qui ædificant sibi solitudines. Aquas fluuiorum Damasci multo cum strepitu currentes sitiuit; & fastidiuit aquas Helebon, quæ dulcissimo silentio requiescunt. Quænam dementia est hæc, cor cuius vnione viuatur, tam multiplici, ac mortifera sectione diuidere? Adeone secularia negotia animas cælo natas diuertent, atque peruertent, vt æternæ salutis negotio, & tempus, & cura desit? Quærite primùm, ô filij Adæ, regnum Dei, & iustitiam eius, & in me cogitatum vestrum, pondusque iactate. Hæc fit sors, & portio vestra vita mortali pretiosior, vt numeremini inter charissimos amicos meos. Quòd si tempus alijs negotijs desit, iacturam temporalium bonorum, cum æternæ vitæ lucro patienter sustinete. Nam, si è cōtrario, in varias sollicitudines distracti breui mundi gloria prosperemini, quid soli ac synceri boni succedet? Dicite vos ipsi, quid profit homini, si vniuersum mundū lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Negotiatores terræ

morientiū, exquisitores terrenæ prudentiæ, institores Themanitę atque Sabæi, quò tenditis in varia figmenta dissipati? Quis mihi det, vt suauissima spōsa mea Sulamitis, Ecclesia inquam mea sit iuxta dies pristinos, quando multitudinis credentium erat cor vnū, & anima vna? Eugite de medio Babylonis, & animam sitientem mihi vnitam recreabo. Ducam eam in solitudinem, & dulcissimè loquar ad cor eius.

CAP. XIIII.

Monet curiositatem sciendi fugiendā.

NE pascatis ventū, Adæ filij, & doctrinas hominum ne anxie queratis. Non gloriatur sapiens in sapientia sua, & legisperitus, in prudentia sua; sed in hoc gloriatur omnis qui gloriatur, scire & nosse me. Respicite, quid profuerit Aegyptijs, & Atheniensibus sollicitudo sciendi. Nonne sapientes consiliarij Pharaonis dederunt consilium insipiens, & existimantes se aliquid scire, stulti facti sunt? Nonne Athenarum præceptores ignoto Deo aram posuerunt? & stultitiam suā, nesciētes quid agerēt, publicarūt?

B 4

Infer-